

unaquaque bestia ex prædictis solidos decem Imperialium, & pro unoquoque curru, plastro, baroccia, vel alio ingenio, mercimonia, seu victualia deferente solidos quadraginta plus, & minus secundum quod dicte bestie, currus, & plaustra, & alia essent pretiosioribus mercimoniis, seu aliis rebus onerari, onerata, vel onerata, & de aliis animalibus, & rebus, & omnibus, & singulis supradictis, quia prolixum esset omnia, & iungula explicare, concedimus etiam, quod possit, & possint pedagia, exactione publicas, & privatas, & alia omnia in omnibus, & singulis civitatibus, castris, terris, villis, burgis, partibus, & poderiis exigere, capere, levare, & exigi, capi facere, & levari per suos officiales, & familiares, secundum quod dicto Episcopo, suisque successoribus, officialibus, & familiaribus nomine ipsius Episcopi, & successorum, & de mandatis ipsorum videbitur utilius expedire. Insuper etiam illud idem volumus, statuimus, & jubemus de navibus, quæ venduntur, vel venduntur in posterum, vel quæ transitum facient per aquas, vel flumina dictarum partium, terrarum, civitatum, & villarum onerata victualibus, mercimoniis, & aliis rebus quocumque nomine nuncupentur, quod dictus Episcopus, sui que successores possint per se, & suos officiales, & familiares pedagia telonea, & alia colligere, & levare, secundum quod ei, & suis successoribus videbitur utilius expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ majestatis infringere, vel ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit præter indignationem imperialem, & imperiale decretum, & sanctionem pragmaticam, qua quævis attentata vigore, ac robore carere decernimus, pœnam mille marcharum auri puri, quarum medietatem ærarii nostri, seu fisci Imperialis, reliquam vero medietatem Camerae Episcopalis usibus applicari statuimus, toties quoties contra factum fuerit, eo ipso se noverit incursum. Signum Serenissimi Principis, & Domini Domini Karoli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi, & gloriosissimi Bohemæ Regis. Testes hujus rei sunt illustres Rodolphus Dux Saxonie sacri Imperii Archimareschallus, Princeps Elector, Valdemarrus Rex Dacie, Vener. Arnestus Pragensis Archiepiscopus, Joannes Olomucensis, Joannes Luchonvessen sacre Imperialis aulae Cancellarius, Theoricus Wormatiensis, Petrus Florentinus, & Petrus Curiensis Ecclesiarum Episcopi, illustres Joannes Marchio Moraviae, Stephanus, & Albertus Bavariae, Balthassar Brunsvicensis, Bolleo Suidnicensis, Bolleo Oppuliensis, Orzimislaus Thesinensis, & Henricus Ligniezensis Duces, spectabiles Joannes Burgravius, Magdeburgensis Magister Curie nostræ, Joannes Landgravius de Lutemberg, & Bertoldus de Henneberg comites, & alii quam plures nostri, & Imperii sacri fideles sub Imperiali nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Pragæ anno Domini millesimo tercentesimo sexagesimoquarto, indictione secunda, calendis februarii, Regnorum nostrorum anno decimo octavo, Imperii vero nono. Sic signatum Cor. Joannes de Prasnitz, item per Dominum Imperatorem Rud de Frideberg, ab extra registrata Petrus Scholasticus Bulvicensis.

*Aliud eidem Episcopo, ac Marchionibus Incisæ.*

MCCCXLIV.

313

In nomine sanctæ, & individua Trinitatis feliciter Amen. Carolus quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemæ Rex ad perpetuam rei memoriam. Quamvis ex assumpto Imperiali dignitatis officio universorum, quos sacri imperii latitudo complectitur saluti, & commodo delectemur intendere: ad illos tamen propensius affectio nostræ majestatis dirigitur, qui constantibus diuturnis obsequiis beneficia nostræ clementiæ meruerunt. Sane attendentes probitatis, constantis fidei, & virtutis merita, quibus venerabilis Guido Aquensis Episcopus, & Marchio Incisæ princeps, & consiliarius noster, ac spectabiles Georgius, Jacobinus, Johannes, Albertus, Joannardus, Guillerminus, Albertinus, Franciscinus, Guillerminus, Daniel, Fridericus, & Bernardus Incisæ Marchiones nostri, & imperii sacri fideles dilecti, & eorum progenitores apud celebris memoriæ divos Romanorum Imperatores, & Reges antecessores nostros, & præsertim apud inclitæ recordationis D. Enricum Romanorum Imperatorem avum nostrum carissimum animo ferventi, ac studioso desiderio sæpe, & sæpius notorie claruerunt ad supplicationem instantem dicti nostri Principis Aquensis Episcopi, recepto tamen prius ab ipso pro se ut a Marchione Incisæ, & pro dictis Marchionibus tamquam a persona conjuncta in sua, & eorumdem Marchionum anima tactis sacrosanctis Evangeliiis pro nobis, & successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, & Regibus, & Imperio præstito debito solito consueto corporali juramento eundem Episcopum, & Marchionem Incisæ, & in personam ipsius præfatos Marchiones, & quemlibet eorumdem de castris infra scriptis videlicet Castrinovi de Incisæ, Bergamaschi, Carentini, Vallium, Cerretæ, & Bethoniae, nec non de universis, & singulis villis, feudis, terri, burgis, fortalitiis, locis, districtibus, partibus, contratis, juribus, jurisdictionibus meris, & mixtis, altis, & bassis, civilibus, & criminalibus, honoribus, regalibus, & ipsorum attinentiis, pertinentiis quibuscumque etiam nominibus, aut specialibus vocabulis valeant nuucupari, quas, quæ, seu quos juste, & rationabiliter possident, & quæ vi, dolo, injuria, seu alia causa quacumque contra rationem, & indebite possidere desierunt animo deliberato non per errorem, aut improvide, sed de certa nostra scientia Principum, Comitum, Baronum, & procerum S. R. I. serio, & maturo accedente consilio auctoritate Cæsarea, & de plenitudine imperiali potestatis, sicut digne possumus adhibitis solemnitatibus consuetis investivimus, & prædicta omnia benignitate solita, & ex innata nobis pietatis clementia præfatis Marchionibus ex singulari gratia de novo in feudum nobile, & juxta feudi naturam ab imperio sacro tenenda, & possidenda concedimus liberaliter, & largimur. Insuper auctoritate Cæsarea præfata eisdem Marchionibus eorum hæredibus, & pro hæredibus singula privilegia, literas, instrumenta, gratias, libertates, indulta, jurisdictiones, honores, jura, & bona quæcumque